



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1773**

**VD18 90118677**

§. 67. Fallax Hugonottarum juramentum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI. literisque apud eum repertis summum  
A.C. 1597. dolorem testatus significabat, quod qui-  
dem Regii Deputati inducias usque ad  
Mensem Octobrem prorogari postula-  
rent, ipse vero illas ultra mensem Ju-  
lium extendi nollet, eoquod a Philippo  
auxiliares copias eo mense adventuras,  
necnon Albertum in Gallias irrupturum  
a suis amicis intellexisset, proin si idem  
Albertus capto jam Ambiano oppor-  
tuna hac occasione uti vellet, minime  
dubium foret, quin Regis, qui in oc-  
culto juratus Catholicorum hostis est,  
fortuna penitus everti possit. Hæ qui-  
dem literæ ad detegendum Mercuriani  
animum peropportunæ erant, Cruceio  
tamen, & Carpentario extremum ac-  
celerarunt exitium, quippe ambo tan-  
quam perduelles, ac patriæ proditores  
postea ad mortem damnati confractis  
membris rotæ impositi sunt.

## §. LXVII.

*Fallax Hugonottarum juramentum.*

*Daniel. l. c.*  
*Thu. l. 118.*  
*pag. 800.*

Cum ergo ex hisce Mercuriani literis  
novos, eosque fatis periculosos tu-  
multus intra Regnum agitari comper-  
tum esset, rei gravitas postulare vide-  
batur, ut Rex de ea certior fieret: qua-  
propter Bullionius, Tremollius, Ples-  
sius, & Senombergius haud inconsul-  
tum censebant, ut Nicolaus Rapinus  
Equi-



Sæcul. XVI.  
A.C.1597.

Equitum tribunus captum Crucejum ad Regem conduceret, eo fine, ut obscura, & ambigua in hisce literis contenta ab ipsomet explanarentur: igitur Rex ex hoc juvene totius arcani consilii seriem edoctus, ut imminens periculum a se amoliretur, Vico, qui tum Salmuri agebat, Hugonottis exponere præcepit, quod Mercurianus Dux ad continuandos in Regno tumultus eorum rebellionem in rem suam verteret, ac gratiis, quas ipsi sibi in Religionis suæ negotio concedi postulabant, ad id abuti intendere, ut sub hoc prætextu Catholicos ad seditionem concitet, atque in Britannia rebellionem profequi valeat: cum satis luculenter interceptæ Mercuriani literæ testantur, eo unice ipsius consilia collimare. Verum Hugonottæ hæc ipsa Regis indulgentia audaciores effecti a Rege jamjam perterrefacto omnia, & singula, quæ per fas, nefasque postulabant, extorquere decreverunt, atque insuperhabito Regis interdicto conventui suo apud castrum Eraldi stabilito die decima sexta Junii initium fecerunt, in quo congregati Regi obedientiam, ac submissionem amplis quidem verbis, ac jurejurando pollicebantur, ejusmodi tamen conditiones, ac clausulas apponebant, ex quibus seditionosa ipsorum consilia palam fiebant: huic



Sæcul. XVI.  
A.C. 1597. huic insuper juramento plusquam du-  
centi ex Deputatis subscripserant una-  
cum ipso Bullionio Duce, qui die vi-  
gesima septima ejusdem Mensis ad ca-  
strum Eraldi advenerat, in hoc potissi-  
mum culpandus, quod a Rege, quem  
repugnantibus cunctis ferme Consiliariis  
ad bellum Hispanis denuntiandum ade-  
gerat, non modo perfide defecerit, sed  
etiam in ipsum seditionem conflarit.

## §. LXVIII.

*Anxiæ Henrici Regis curæ ob Hugo-  
nottarum temeritatem.*

*Dignis l.c.* Percepta Calvinistarum pervicacia  
Henricus Franciæ Rex tandem  
proprio experimento didicerat, nun-  
quam nec Principis securitati, nec Re-  
gni tranquillitati cautum esse, quam-  
diu quædam secta a Catholica Religio-  
ne aliena invalescere nimia indulgen-  
tia permittitur, eoquod indomiti secta-  
riorum animi nullo aut rationis, aut  
reverentiæ fræno regi sustineant: quo-  
circa Henricus Rex inquietissimo cura-  
rum turbine ejus animum circumso-  
nante, quid consilii in fatali hac re-  
rum vicissitudine caperet, suspensus  
hærebat; sub idem vero tempus perop-  
portunæ Rosnius Baro ad castra adve-  
nerat, qui quidem Calvinianæ sectæ  
studiosissimus, Regi tamen apprime  
addi-